

8

ΑΚΡΟΠΟΛΙΣ  
Salutis nostræ:  
DISPUTATIO  
*παλαισνευασινη* vid Tz 57 disp 2 p. 342  
DE

# SATISFACTIONE CHRISTI PRO PECCATIS NOSTRIS, ET IN SPECIE DE PAS- SIONIBUS CHRISTI INFERNALIBUS,

*Opposita*  
Photinianis, Arminianis, Veigelianis, Fratribus  
Rosæ Crucis, Anabaptistis, & ex parte Pontificiis,  
Pro gradu Baccalaureatûs in Theol. collato,

*Jus tu*

Pl. Reverendi Collegii Theologici materiam determina-

*tionis loco in ipso promotionis actu suppeditantis,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi Dn.*

JOHANNIS HÖPNERI, S.S. THEOL. Do-  
ctoris, & Professoris in Acad. Lipsiensi celeberrimi, Fa-  
cultatis Theol. Senioris, Consistorii Electoralis Assessoris, Diœce-  
seos Lips. Superintendentis, Canonici Misnensis, minoris Princ.  
Collegii Collegiati, Academiæ Decemviri, &c.

*Præceptoris & Patroni sui magni.*

*Submissa*

M. HIERONYMO KROMAYERO, S.S.Th. BACC.

*Phil. Facult. Assessore, & p. t. DECANO.*

*xiv. Julii, ANNO cI 9 I 3 XLII.*

---

LIPSIAE excudebat Gregorius Ritzsch.

THd M7



PROTOSYNEDRII ELE-  
CTORALIS SAXONICI  
Præsidi eminentissimo,

*Generoso ac Magnifico*  
*DOMINO*

FRIDERICO METZSCH in Reichenbach  
& Friesen/Serenissimo SAX. ELECTORI à Consiliis in-  
timis, & hactenus ad Sacri Romani Imperii Comitia tām Nori-  
bergam, qvām Ratisbonam, nec non ad Invictissimi Rom. Impe-  
ratoris Aulam Legato splendidissimo:

*Ut & ejusdem*

Dominis Asfessoribus,

*Reverendissimo, Magnifico, & Nobilissimo*  
*Dn.*

MATTHIÆ HOE ab HOENEGG, in  
Lungwitz & Gōnsdorff Hæreditario,  
Theologo de totâ CHRISTI Ecclesiâ meri-  
tissimo, Comiti Palatino Cæsareo, nec  
non Serenissimo SAX. ELECTORI à Con-  
cionibus Aulicis primariis, Confessioni-  
bus sacris & Consiliis Ecclesiasticis &c.

*Amplissimo, Consultissimo, & Ex-  
cellentissimo*

DN. D. FRIDERICO TÜNTZELIO,  
JCTO nominatissimo, & Sereniss. SAX.  
ELECT. in Judiciô Appellationum, re-  
busq; Cameram Imperiale concernen-  
tibus Consiliario gravissimo.

*Admodum Reverendo, Magni-  
fico & Amplissimo*

DN. D. ÆGIDIO STRAU-  
CHIO, Theologo cele-  
berrimo, Ecclesiae Dres-  
densis & vicinarum Super-  
intendentem meritissimo.

*Amplissimo, Consultissimo, &  
Excellentissimo*

DN. D. JOHANNI LU-  
DOVICO KÖPPELIO, JCTO  
famigeratissimo, & Sere-  
nissimi SAXONIAE ELE-  
CTORIS Consiliario dignis-  
simo.

*Dominis & Patronis suis maximis,*  
*Ut se tetum; ita hanc Disputationem submissè offert*  
*M. HIERONYMUS KROMAYER.*

Προσάλιον.



I qvis est fidei articulus, qvi à pluribus Antagonistis, Christianorum tamen nomen p̄ se ferentibus, impugnatur, Articulus de Satisfactione CHRISTI pro peccatis nostris non ultimum sibi transscribit locum. Ut enim jam nihil dicam de Pontificiis satisfactionem CHRISTI non qvidem in totum, sed in tantum oppugnantibus, cùm pro pœnis temporalibus ipsum satisfecisse negant, Photinianos saltem modernos, & qvi cum ipsis in unam harmoniam, si harmonia dicenda, conspirant Arminianos, Weigelianos, Fratres Roseæ Crucis, Anabaptistas, & similes Fanaticos passim locorum latibula rectè qværentes h̄ic tantum fisto. Postquam enim ipsis isthmum fregit Faustus Socinus Lælii Filius Senensis in librō, quem ἀνίην ήγε ἀνίην hactenus stetisse per Europam contribules gloriantur, de CHRISTO Servatore opposito Jacobo Coveto Theologo Gallo, tam avidè hoc toxicum imbiberunt passim per Transsylvania, Hungariam, Polonię, Borussiam, & loca contermina plures, ut etiam ex Germanis, qyalis in primis Ostorodus Goslariensis, Schmaltzius Gothanus, Sommerus Pirnensis, Völckelius Grimmensis, qvi pro tuendo hoc dogmate quasi starent in acie, fuerint deprehensi. Qvin & serpens hoc contagium per inferioris Germaniæ provincias tot Viros eruditos afflavit, ut inde scissæ Ecclesiæ unitarum Provinciarum Belgicarum, & in Remonstrantium ac Contra-Remonstrantium cœtus divisæ fuerint eodem ἐπι μέρες infectæ. Quantumvis autem primū, præsertim circa tempora coactæ Synodi Nationalis Dordracenæ Anno 1619. in qvatuor tantum Articulis de prædestinatione scil. non absoluta, sed conditionata, de universali meritō CHRISTI, de gratiâ conversionis non irresisti-

bili, & de certitudine salutis ante finem vitæ hypothetica contentionis serra reciprocari visa, ( Photinianismi tamen & Pelagianismi tunc quoque à parte adversâ Remonstrantes à Remonstrantiâ, quam exhibuerunt, vel à Jacobô Arminiô Professore Leidensi Arminiani dicti fuisse postulatos novimus ) adeò ut de novâ accessione ad Ecclesias nostras quamplurimi fuerint gavisi, progressu râmen temporis quid in recessu habeat ipsorum doctrina, quod nihil aliud sit, quam Crypto-Socinianismus, abunde ex editis in salivam publicam scriptis patuit. Potuerunt autem sub plausilibus illis quatuor controversis, quibus horrendae alias sententiæ Adversariorum majus odium conflare potuerunt, facile doctrinam suam occultare, cum sub conditione fideli conditionem obedientiæ mandatorum divinorum, sub universalis CHRISTI meritô exemplum universale nobis relictum, sub gratiâ non irresistibili arbitrii libertatem in spiritualibus, sub certitudine salutis non absoluta suam de gratiâ præsente & futurâ dubitationem propugnare ipsis fuerit in proclivi. Acne gratis id dixisse videar, fidem unam copulativam, sive totum systema Theologiæ Photinianæ & Arminianæ, & communes ex utrâque parte hypotheses aliquis vel per transennam solummodo inspiciat, & ita rem sese habere facilè manus dabit. Docent Sociniani, & cum iis Arminiani, uti ad oculum ex ipsorum libris videre licet, divinam imaginem in justitiâ originali non constitisse: Adamum mortalem creatû fuisse, nos in Adamô non peccasse, sed ipsum typum (en Pelagianismum!) tantum fuisse, cuius peccatum nostrum fiat nudâ imputatione & imitatione: concupiscentiam pravam non esse peccatum propriè sic dictum: voluntatem hominis non esse vitiatam ex lapsu, nullâq; supernaturali gratiâ opus esse ad voluntatem reformandam: actualia peccata non ex peccatô originali, sed ex frequentibus actibus ortum ducere: quædam peccata suâ naturâ ita levia esse, ut peccata dici non mereantur, nec peccatores reos mortis constituant: Patres V.T. non fuisse justificatos & servatos per eandem viam, quam nos, nimirum perfidem in CHRISTUM, nec habuisse vitæ æternæ promisum: CHRISTUM Servatorem nostrum esse exemplo, non præstatione; confirmatione, non meritô; justitiæ DEI

solu-



solutione & λύτρῳ CHRISTI non esse satisfactum: ipsam fidem  
non ut instrumentum consideratam, sed ut opus nobis in justi-  
tiam imputari: fidem per obedientiam mandatorum divino-  
rum definiendam: fides, licet imperfecta sit, DEUM tamen ex  
æquitate (quā tantum non omnia nostra argumenta pro gratui-  
tā peccatorum ex parte nostrā remissione solvere conantur) ean-  
dem accipere, prout Creditor ab exhaustō debitore decem pro  
centum accipit: DEUM in V.T. obedientiam rigorosam, qvan-  
tum ad perfectionem gradum, non partium postulāsse, in  
N.T. aliquali contentum, & quæ sunt hypotheses plures velut  
ansulæ in catena, qvarum solutâ unâ solvuntur plures, sese com-  
pleteentes. Non negamus quidem à Remonstrantibus aliorum  
errorum & malefactorum causâ quosdam rejici, v.g. Slarium,  
Geisteranos, Venatorem, Welsingum, Witzium, tamen hīc  
provocamus partim ad ipsorum scripta publica, v.g. ipsa Synodi  
Dordracenæ acta ex Remonstrantium parte edita & Apologiam,  
partim ad scripta Promachorum, in primis ipsius Jacobi Armii-  
nii, & qui fuit hactenus os Remonstrantium Simonis Episcopii  
Professoris quondam Leidensis, item aliorum quamplurimo-  
rum in harmonia Socinianismi & Remonstrantismi à Peltio ad-  
ductorum. Ut verò scopum sibi præfixum, nimicum Socinia-  
nismum eò facilius attingerent, medium ad finem ducens ac-  
commodatissimum fecerunt Libertinismum non vivendi, sed  
credendi, cuius naturā in hoc consistit, ut absqve periculo salutis  
in articulis controversis quis assentiri posset, cui parti velit, mo-  
dò in hisce tribus reverentia Scripturarum, fide promisorum &  
obedientia mandatorum divinorum non deficiat. Unde sub  
hoc Libertinismo, quem peculiari scripto quidam Arminiano-  
rum vocat arcanum, delectum religionum facile instituerunt,  
illamq; in qua maximè fuere versati, & quæ studium pietatis  
urget, Photinianam scilicet arripuerunt. Subscribunt in abne-  
gatione satisfactionis CHRISTI Photinianis etiam Weigeliani à  
Valentino Weiglio in oppido Artern Comitatū Mansfeldici  
oppido superiore seculō in lucem editō, Pastore quondam Scho-  
pehisi sic dicti. Ut enim illi oblationem CHRISTI non in ara cru-  
cis factam esse, sed in cœlo fieri contendunt, hominemq; vitæ

1665P

A 3

inno-

innocentia salvati statuunt: Ita hi Sacerdotale C H R I S T I officium in cordibus piorum precum suffitu, septem candelabrum aureorum, id est, donorum Spiritus accensione &c. peragi, & sic CHRISTUM Legem non pro nobis, sed in nobis implere garriunt. Fratres Roseæ Crucis vel à Christiano Rosen Creuz antiqvō Monachō, qui profectus in Palæstinam & Arabiam, ab Ethnicis Monachis Theologiam suam didicit, vel à Symbolo Lutheri: Der Christen Herz auss Rosen geht / wenn es mitten unter dem Creuze stehet/ qvō interdum ευαγρωσ utuntur per qvandam allusionem nomen habentes, licet sua dogmata miris modis premant, & non nisi sub sigillō silentii aliquem in Philadelphia admittant, tamen cum Weigelii doctrinam se approbare fateantur, quin ipsi hoc quoque in punto subscribant extra dubitationis aleam positum esse puto. Anabaptistarum sectæ plures sunt, v. g. Tacentes, Orantes, Ecstatici, Libertini, Augustiniani, Monasterienses, Servetiani, Hoffmanniani, Davidiani, Adamitæ, Aqvarii, Frankistæ, & aliae, uti ex Wigandi Anabaptismō refert Försterus in Disput. super Decal. Dec. I. probl. I. qui tamen in catabaptismō, unde commune nomen habent, convenire dicuntur. Horum plerosque cum finem passionis CHRISTI tantum secundarium, quatenus οὐαγρωσ nobis reliquit, urgeant, & præceptis à C H R I S T O Legi noviter adjectis salvari velint, à Photinianorum sententiâ non procul abesse constat. Cum verò in adstruendâ suâ sententiâ & contrariâ destruendâ omnium conatum superarint Faustus Socinus Italus, ipsiusq; discipuli Christophorus Ostorodus & Valentinus Schmaltzius, adeò ut ex horum pharetris tela mutuentur omnes, quotquot hanc ἀπόπολιν salutis revertere conantur, cum ipsis quoque res nobis impræsentiarum potissimum erit. Ultverò fiat συγκέντωσις, nec turres, quas impugnemus, nobis fingamus, statim controversiæ, quæ nobis cum prædictis Antagonistis intercedit, prius formabimus, & postmodum κατασκευασμένως hâc vice totum hoc negocium tractabimus.

Duplex autem nobis jam ventilanda venit quæstio, quarum quidem posterior sub priore contineri, & ita ex eadem fideliæ duo parietes dealbari possent; verum cum in determinatione,  
quam

quam vocant, temporis habitâ ratione ante biennium, posterior  
tantum fuerit discussa, & accuratiorem quoqve meditationem  
reqvirat, peculiarem eidem sectionem destinabimus.

**Q**uæritur itaque I. An CHRISTUS obedientiâ  
suâ læsfæ peccatis nostris justitiæ divinæ  
vice nostrâ satisfecerit?

**I**I. An idem passiones infernales in animâ  
suâ sanctissimâ sustinuerit?

Quodipsum nos affirmamus, Antagonistæ negant. Sententiam  
nostram certis firmamentis ex solâ Scripturâ (cùm disputantes  
in uno principio convenire debeant) petitis superstruimus, &  
exceptiunculas Adversariorum malleo ejusdem verbi Θεοπνεύστε<sup>s</sup>  
destruimus. Quod ut fiat feliciter, ille, cuius hic gloria quæri-  
tur, Spiritus Sancti sui gratia nobis assistat.

## **S E C T I O I.**

### *THESES I.*

**Fundamentum I.** justitiæ divinæ peccatis  
nostris læsfæ, aut à nobis metipsis, aut à sponsore  
fuisse satisfaciendum, probat comminationis  
istius fulmen: **Q**uocunque die de arbore hac ve-  
tità comederi, morte morieris, Gen. 2. v. 17.

### *"Ενθεσις.*

1. **Q**uantumvis Photiniani, uti & Anabaptistæ susque deger habitis V.T.  
testimoniis ex Novo libentiis nobiscum in arenam descendant,  
tamen cùm Novum in Veteri lateat, Vetus in Novo pateat, non ha-  
bent, cur pugnam detrectent, cùm præsertim ad tuendum integrum  
Theologiæ suæ systema locis V.T. clarissimis jamdudum noctem offun-  
dere fuerint conati. 2. Sic itaque ex loco adducto colligimus: Aut  
morte moriendum Adamo & omnibus ipsius posteris (*morte non*  
*tantum naturali, sed etiam aeternâ*) post eum fructus vetiti, aut  
justitiæ divinæ λύτρον ἰσόρροπον persolvendum. Sed morte na-  
tura-

§. I.

2

turali ( maledictionem adjunctam habente ) & æternâ nec Adamo,  
nec omnibus ipsius posteris fuit moriendum. 3. Justitiæ di-  
næ λύτρον ἵστορον persolvendum. Ratio connexionis hæc est,  
quia & veritas & justitia DEI vocaretur in dubium, si quod inter-  
minatus fuisset, non daret effectui, aut peccatum dimitteret impuni-  
tum. Posterius ipsi Photiniani concedere coguntur. 4. Verum uti  
Theologia ipsorum magis est destructiva, quam adstruttiva, forsitan  
secundum illud Philosophi χαλεπώτερον κατεγενάζειαι, η ἀνα-  
στησειαι, id est, facilius est destruere, quam adstruere: ita nul-  
libi non elabendi rimas querunt. 5. Cum enim inciderunt in Biblia  
glossata, & unius loci varias interpretationes invenerunt, non quod  
pueri in faba se reperisse putarunt. 6. Quantum jam ad præsen-  
tem locum, veritatem DEI nullatenus labefactatam dicunt, etiamsi  
homines non omnes morte naturali maledictâ & æternâ moriantur,  
quia hominem ante lapsum mortalem non potentia remotâ, sed pro-  
ximâ statuunt, post lapsum verò moriendi necessitatem saltē insce-  
cutam dicunt. 7. Quantum verò ad justitiam vindicatricem, il-  
lam in DEO dari negant, & peccatum ex nudâ DEI voluntate æsti-  
mant. 8. Et ita sensus horum verborum erit: Quocunq; die com-  
ederis, necessariò ( non quod peccatum istud contra naturam meam  
fit, sed quia ita volo, & ita mihi placet ) cum omnibus posteris tuis  
morieris. 9. Ut hæc ipsis oppilemus οὐσίας, hypotheses eo-  
rum paulò altius excutiemus. 10. Photinianismum quintam essen-  
tiā ex Papismo & Calvinianismo confitam esse, jamdudum in-  
mensâ Solis à multis est expositum. 11. Cujus rei documenta quoq;  
præbent hypotheses Photinianorum in Articulo de divina imagine re-  
liquis erroribus substrata, quam non in justitiâ originali, sed in do-  
miniō externō super omnes bestias, volucres cœli, pisces maris &c. con-  
stituisse nugantur. 12. Hinc etiam impassibilitatem & immortalita-  
tem corporis inter axiomata divine imaginis non numerant.  
13. Verum enim verò hominem non ad mortem, sed ad vitam condi-  
tum esse, astu verò Diaboli peccatum in mundum intrasse præter li-  
brum Sapientie cap. i. v. 13. docet Salvator Joh. 8. v. 44. quando Dia-  
bolum homicidam ab initio scil. lapsūs vocat, & Apostolus Roman. 5.  
v. 12. per unum hominem peccatum, & per peccatum mortem in mun-  
dum introiisse statuens, mortemq; peccati stipendium Rom. 6. v. 23.

indi-

1131

indigitans. 13. De morte animæ, sive corruptione virtutis locum  
bunc Gen. 2. v. 17. accipiendum putas? Atque non mortem duntaxat  
animæ, sed corporis quodcumq; una cum suis omnibus prodromis, immo æter-  
nam quodcumq; mortis nomine venire in sacris multorum locorū induc-  
tione probari potest. 14. De morte æternâ locus est insignis Job. 8. v. 51.  
Quisquis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æter-  
num. 15. De morte corporali res cœlo, quod ajunt, sudo clarior est.  
16. De afflictionibus externis locus extat Exod. 10. v. 12. Auferas à me  
mortem istam, cum de locustarum plagâ fit sermo. 17. Imo quicquid  
malorum Adam cum posteris suis incurrit per peccatum, id totum ei  
mortis nomine DEUS minatur. 18. Nec tamen propterea homi-  
nem ad vitam cœlestem, cuius non nisi per mortem hanc pœnosam ex-  
sentientia Photinianorum potuisset fieri particeps, conditum esse ne-  
gamus, quia non per mortem hanc pœnosam, sed mutatione saltem  
status animalis ex hac vita terrena in alieram fuisse translatus,  
sicut Henochus vivus in cœlum fuit translatus, aut quos dies extre-  
mus vivos deprehendet, immutabuntur, ita ut non exuantur, sed su-  
perinduantur, dicente Apostolô 2. Cor. 5. v. 4. 19. Inter mutatio-  
nem tamen status animalis primorum parentum, eorum, quos dies  
extremus vivos deprehendet, immutationem hanc ponimus differen-  
tiā, quod hæc nihil aliud futura, quam mors & resurrectio mo-  
mentanea, quam τὸ Φθαρτὸν ab αΦθαρτίᾳ penitus absorbebitur, il-  
la verò absque corporis & animæ dissolutione fuisse peracta.  
20. Quantum ad justitiam DEI vindicatricem, illam in DEO non  
dari, sed ex nudâ DEI voluntate peccatum estimari, Photinianis Le-  
gem tanquam normam divinæ justitiae immutabilem revocamus in  
memoriam. 21. De illa enim Salvator Matth. 5. v. 18. non præteribit  
jota, vel apex de Lege, donec omnia fiant. Item non veni solvere Le-  
gem, sed implere, v. 17. 22. Quod si ex nuda voluntate DEI pecca-  
tum esset estimandum, peccatum esse posset non peccatum, nec pœna  
dignum, quod ἄλογον καὶ αἴθεόλογον. 23. Jubemus ipsos inspicere  
Loca Rom. 3. v. 25. quod Christus sit ἡλατήριον nostrum in sanguine suo  
εἰς ἐνδείξιν δικαιοσύνης τῷ Θεῷ, & ad Rom. 8. v. 3. 4. quod DEUS  
misericordia Filium suum, & de peccato damnaverit pecca-  
tum, ut δικαιώμα τῷ νόμῳ in nobis  
impleretur.

B  
THE-



THESIS II.

Fundamentum II. Πρωτευαγγέλιον primis parentibus post lapsum allatum. : Inimicitias ponam inter te & serpentem, inter semen tuum & semen illius, ipsum tibi conteret caput, tu vero insidiaberis ipsius calcaneo, Gen. 3. v. 15.

"Εὐθεσίς.

- §. I. 1. Ex hac promissione, quae totius loci de CHRISTO, quantum ad personam & officium, Σπίλουν & compendium, satisfactionem CHRISTI αὐθικῆς probari posse, suis etiam exceptionibus monstrant Adversarii. 2. Ita enim comparatae sunt, ut non negent consequiam nostram, sed potius ad totius loci perversam explicacionem configiant. 3. Quod si tamen consequiam negarent, & expressam satisfactionis mentionem requirerent, ipsis regerimus, dicta, quae pro confirmanda nostra sententia proferuntur, non esse uniusmodi, sed quedam αμέσως & solitariè posita, quedam vero ἐπομένως, & cum aliis conjuncta, eandem probare. 4. Ita vero ex hoc loco colligimus: Qvicunque ita debuit pati ac mori, ut passione & morte suā caput serpentis infernalis contereret, id est, opera Diaboli (peccatum & mortem) destrueret, ille pro peccatis nostris justitiae divinæ debuit satisfacere. Semen mulieris &c. E. Major probatur, quia sine satisfactione peccatum & mors auferri non poterant. Cum itaque CHRISTUS id præstiterit, quod in nostris viribus non erat, bono & loco nostro id præstitit, adeòg, pro peccatis nostris justitiae divinæ satisfecit. 5. Minorem negant, hæc verba non benedictionem, sed maledictionem continere, nec de Messia, sed de toto humano genere, nec de Diabolo, sed serpentibus naturalibus exponenda esse cogannientes. 6. In qua explicatione Calvinus iudaizans signata, quibus firmius inherere possent, vestigia Photiniensis reliquit. 7. Ut autem ταῦτα largiamur, priorem versiculum de serpente naturali, Diaboli ad seducendum genus humanum organo, quod humi repere terrâq, vesci debeat, esse intelligendum: licet etiam vocabulum seminis interdum esse collectivum non negamus: licet etiam Josephum historiæ Judaicæ conditorem de serpente

nar-



naturali accipere facile demus; tamen cur hunc locum de Messia genus humanum passione & morte suâ redempturo intelligendum esse doceamus, causæ nos urgent prægnantissima. 8. Ut enim siccò jam pede præterea versiones Chaldaicas antiquissimas (qvarum autoritas, licet nobis non sit infallibilis, est tamē maximè probabilis) de Messia locum hunc exponentes, nec non eventum promissioni exactissimè correspondentem, hoc saltem ad sàtioris judicii obrussam expendum relinquo, annon hâc ratione DEUS Protoplastos nostros omnis solatii expertes, & in summo isto angore ferè desperabundos reliquisset: annon Satanas totius tragediæ autor id tacitum tulisset, cùm Adamo & Eva suæ fuerint inflictæ pænæ gravissimæ. 9. Quid? quòd τῷ πρῶτον γένετο πριμogenitum suum Cainum enixa indicem quasi digitum ad hanc promissionem direxit, quando in hæc verba erumpit: Possedi Virum DOMINUM, Genes. 4. v. 1. illum ipsum, scil. capitis serpentini destructorem, qvi mibi post lapsum promisus. 10. Hinc etiam Diabolus serpens antiquus totum mundum seducens, Apoc. 12. v. 9. & à Salvatore Job. 8. v. 14. homicida & mendax ab initio vocatur. 11. Mentionem sui in volumine libri ἡ Φαλίδη Βιβλίον, vel prima Parasha tribus capitibus prioribus constante fieri Messias Psal. 40. v. 8. & 9. dicit, quod ipsum, nisi verbis hisce fiat, ubi alias locorum fiat, non video. 12. Ratiunculas quod attinet, basis ista non est ferundo huic Colosso. 13. Licet enim pæna in instrumentum seductionis serpentem naturalem quoque redundet, principale tamen agens Diabolum fuisse exclusum, quis duxerit? 14. Vocabulum seminis semper esse collectivum non admittunt loca Genes. 4. v. 25. ubi Seth peculiare individuum, & Gen. 21. v. 13. ubi filius Abrahæ Ismaël ex Agar ancillâ susceptus, semen dicitur. 15. In primis hoc evincit cap. 3. v. 16. Epistolæ ad Gal. ubi promissio Abrahæ facta de semine benedicto, in quo benedicenda erant omnes familiæ terræ, quæ τῷ πρωτευαγγελίῳ repetitio, expressè ad CHRISTUM restringitur: Non loquitur de seminibus, tanquam de multis, sed de uno, in semine tuō, qui est CHRISTUS. 16. Observavit idem Interpres LXX, qvi contra regulas syntacticas σπέρμα, αὐλὸς; semen, ipse reddidit. 17. Exempla forsitan tanquam αἰδεῖσσος rejicis, propterea quod hòc loco semen mulieris opponatur semini serpentis collectivo, & propterea quoque collectivè sit accipiendum. 18. Sed diversa duellantum paria,

19 *semen scil. mulieris individuale, & serpentem, deinde semen mulieris  
& semen serpentis introduci sciendum. 19. Josephi judaizantis au-  
toritatem hic non moramur, cum Scripturae interpretatio semetipsam  
explicantis immanni intervallo preferenda.*

### THESES III.

Fundamentum III. Promissio tribus Pa-  
triarchis Abrahamo, Isaaco & Jacobo facta: In  
semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ,  
**Genes. 12. v. 3. cap. 22. v. 18. c. 26. v. 5. c. 28. v. 14.**

### <sup>2</sup>EUGENIUS.

§. 1. 1. **M**aledictioni non ceremoniali duntaxat (cui omnes suspensi, quod  
terram suò contactu inquinarent, erant subjecti,) sed & mo-  
rali nos omnes fuisse subjectos, fulmen istud Deuter. 27. v. 26. Maledic-  
tus, qui non permanerit in omnibus Legis hujus præceptis, satis  
ostendit. 2. Hanc autem CHRISTUM, qui pro nobis maledictum  
factus, sustulisse, adeoq; benedictionem nobis attulisse, insignis ille lo-  
cus Gal. 3. v. 13. & 14. satis probat: CHRISTUS nos redemit ab ex-  
ecratione Legis, dum pro nobis factus est execratio, (scriptum est enim:  
Execrabilis omnis, qui pendet in ligno) ut in gentes benedictio Abra-  
hae veniret per CHRISTUM JESUM, ut promissionem Spiritus ac-  
cipieremus per fidem. 3. Unde collimus: In quo fuerunt bene-  
dicenda omnes familiæ terræ, ille maledictionem debebat au-  
ferre. In CHRISTO &c. E. Rursus: Qvicunq; maledictionem  
debebat auferre, ille debebat pro peccatis humani generis, quod  
sub maledictione erat, satisfacere. CHRISTUS &c. E. Major ex  
permutatione illâ personarum probatur. Qui enim alterius vice &  
locô fit maledictum, ut alter benedictionem consequatur, ille alterius  
vice & locô satisfacit. 4. Excipiunt Photiniani in genere (non e-  
nim exemplis, sed communibus Legibus hic judicandum esse volunt)  
contra promissiones hasce: Ante CHRISTUM natum nullum in-  
mundo fuisse Evangelium, nec Patres Veteris Testamenti promissio-  
nem de CHRISTO habuisse, sed acqvievisse in promissionibus corpo-  
ralibus, qualis etiam fuerit haec promissio Abrahæ facta. 5. Si qui  
verò ex Patribus spem vitae eternæ habuerint, (prout Evangelium per  
letum

latum nuncium de vita æterna definiunt) illam tamen, cum non nati-  
tatur promissionibus divinis, sed conjecturis, vanam fuisse dicunt.  
Hinc etiam Abrahamum, quod sibi promissus fuerit Messias, intellexisse negant, nostrasq; explicationes saltem allusiones vocant. 6. Re-  
spondemus, vocabulum εὐαγγελίος vel in latissimō significatu sumi pro  
tota doctrina cœlesti, quatenus & Legem & Evangelium strictè dictum  
ambitu suo complectitur, uti Marci ult. v. 15. prædictate Evangelium  
omni creaturæ: vel in stricto, quatenus opponitur Legi, & significat  
doctrinam de gratuita peccatorum remissione propter CHRISTUM,  
in qua significatione prima promissio Protoplantis facta dicitur περὶ  
εὐαγγελίου: vel in strictissimo pro concione de CHRISTO exhibito,  
& tunc opponitur τῇ ἐπαγγελίᾳ sive promissioni, qua est concio de  
Christo exhibendo. 7. Et ita sumitur Act. 13. v. 31. ἡμεῖς υμᾶς εὐ-  
αγγελιζόμεθα τὴν ἐπαγγελίαν περὶ τῆς ταλέρας γνωμένην, i.e.  
& nos vobis annunciamus eam promissionem, quæ ad Patres facta  
est. Item Rom. 1. v. 1. ubi Paulus se vocat servum JESU CHRISTI,  
ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον Θεόν. ὁ ωρεπηγείλατος Διὰ τῶν  
ωρεπηγείλων αὐτῶν, id est, segregatum in Evangelium, quod antè pro-  
misérat per Prophetas suos. 8. Positis his, liberaliter quidem da-  
mus, Evangelium in strictissimō significatu, id est, concionem de  
Christo exhibito, cum demum in plenitudine temporis DEUS miserit  
Filiū suū, natum ex muliere, Gal. 4. v. 4. non habuisse Patres V.T.  
sed εὐαγγέλιον in stricto significatu, quatenus sumitur pro doctrina de  
gratuita peccatorum remissione per Christum ipsos non habuisse,  
Aliavm uéya est aut̄ tñua. 9. Ut enim hic ad clavem V.T. Novum sci-  
licet, ex quo libentius nobiscum congregiuntur Antagonistæ, provo-  
cemus, communem esse justificandi modum V. & N. Testamenti per  
fidem scil. in meritum Christi tam exhibendi, quam exhibiti, satis a-  
pertè docet cap. 15. Act. v. 10. 11. Quid tentatis DEUM, ut imponatur  
jugum super cervices Apostolorum, quod neque Patres nostri, neque  
nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini JESU CHRISTI  
credimus nos salvos futuros, quemadmodum & illi. JESU CHRISTO  
Prophetas omnes testimonium perhibere, quod remissionem peccato-  
rum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum, dicit  
Petrus Act. 10. v. 43. Abrahamum diem Christi vidisse, & gavisum  
esse Salvator, Joh. 8. v. 57. & per fidem in Christum justificatum esse,  
docet Apostolus Roman. 4. v. 3. 10. Unde veteres hunc aphorismum

extruxere: Tempora sunt Patribus, non variata fides, nisi quod accidente differat, & Patres in Christum auctagov crediderint, nos vero in eis auctagov credamus. 11. Evangelii definitionem, quod sit letum nuncium de vita eterna, hic non magnoperè exagitabo, cum remissio peccatorum, sive justificatio (saltem enim differunt ut apostolus agit, ut terminus a quo & ad quem) ad vitam eternam tanquam finis intermedius ad ultimum se habeat; hoc tamen, quod Patres V.T. nullam spem certam vitæ eternæ habuerint, est falsissimum.

12. Qvibus enim interdictum, quod morte cum temporali, tum eternâ sint morituri, si transgressuri essent mandati divini limites, illis vita promissa eterna, si dicta fuerint audientes. 13. Nec est, quod consequentiam rideant Antagonistæ, non statim seqvi, adulteris, furibus & homicidis, qvibus Magistratus mortem interminatur, promissam esse vitam, si ab ejusmodi delictis abstinuerint. 14. Imo vero vitæ custodia & salus, si obtemperent, iis est promissa: & ex privatione optimè cognoscitur habitus. 15. Non urgebo hic dicta clarissima Ezechiel. 33. v.11. cap.18. v.23. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, ubi non de temporali, sed eternâ morte sermonem esse, prolongatio vitæ tam piis, quam impiis communis, & mors illa, qvæ conversione averti potest, evidenter ostendit: locum, saltem Iohann. 5. v.39. considerandum propono, ubi Christus Iudeos Scripturas scrutari jubet, propterea quod credant se vitam eternam in iis habere. 16. Hic Christus ad Scripturas Veteris Testamenti Iudeos sibi contradicentes (ne quis ab ipso Christo doctrinam hanc de vitâ eternâ ipsos primum hausisse putet) amandat, ut in illis Messiam quærant, propterea quod credant se vitam eternam in iis habere. 17. Per verbum δοκεῖν conjecturalem saltem & vanam spem, intelligi cum Photinianis excipis? At particularis est iste significatus, cum νυεῖα δόξα pro axiome quoque firmissimo usurpetur, nec conjecturis, sed ipso DEI verbo spem Iudeorum de vita eternaniti Salvator asserit. 18. Syrus in sua parapbraſi ejusmodi verbo (nimir. סבר) utitur, quod per Græcum νομίζειν & ἐλπίζειν redditur, nec persuasionem illam tanquam vanam arguit Christus, sed potius ostendo medio ad vitam eternam perveniendi Iudeos in sua fide confirmat.

THE-

THESIS IV.

Fundamentum IV. Sacrificia Levitica V. T.  
qvæ fuerunt συναγ, ὑποδείγματα & τύποι sacri-  
ficii C H R I S T I unici pro peccatis totius humani  
generis immolandi.

<sup>7</sup>Enθεσις.

1. **S**acrificia non bono tantum, sed & loco peccatorum fuisse in V. T. §. I.  
oblata tam clarum est, quam Sol, cum splendet in meridie, &  
hinc argumentum à sacrificiis pro satisfactione adstruendâ desum-  
tum alicujus ponderis putat ipse Socinus. 2. Qvod si fuerint typi  
Christi, nec ex se peccata expiarint, (in quo diverticulum querit, uti  
postmodum videbimus) omnes ipsius elusiones particularum ἀπέργοι  
ωθεῖ (qvod saltem bonum, non vicem alterius significant) corrunt.  
3. Sicut enim victima pro peccatore: Ita CHRISTUS pro totô ge-  
nere humano fuit oblatus. 4. Atqvi victima non bono dunta-  
xat & commodo, sed vice peccatoris, qui pecude percussâ & ma-  
ctatâ, salvus evadet, fuit oblata. E. & CHRISTUS vice nostrâ,  
id est, pro omnibus hominibus victima in arca crucis fuit oblatus.  
5. Verum ut ex hoc nodo, qvō se constrictum sentit, semet extricet  
Adversarius, Sacrificia Veteris Testamenti typos Christi fuisse negat,  
sed ex se, licet non ex dignitate propriâ, verum ex ordinatione divi-  
na peccata expiâsse dicit. 6. Qvod ipsum Scriptura hic nimis cla-  
ra funditus prosternit & evertit. Autor enim Epistolæ ad Hebr. ali-  
quoties ὑποδείγματα, συναγ, ωρθολην, ἀντίτυπα τῶν ἀληθι-  
νῶν, & Christum veritatem ac naculi λειχρόν appellat, & nisi sacrificia  
illa se haberent ad Christi sacrificium, ut umbra ad corpus, male  
colligeret. Autor ab adventu hujus ad abrogationem illius. 7. Qvan-  
tumvis autem post resurrectionem Christi ab Apostolis tolerarentur  
sacrificia, tamen saltem ut ceremoniae adiaphoræ tolerabantur, do-  
nec cum honore sepeliretur Synagoga Mosaica, & Christus destruendo  
templum, ad quod erant alligata sacrificia, ceremoniis Mosaicis colo-  
phonem imponeret. 8. Unde & in hodiernum usq; diem ob allatam  
rationem Judæi nec agnum paschalem mactant, nec sacrificia offe-  
runt, licet nonnulli carnium enervationem tanquam ἀνάλογον qvod-  
dam

9. dam substitui velint. 9. Qvòd ex sese peccata non expiarint, Solis  
radio scriptum extat in eodem V. T. commentario illustrissimo, Epi-  
stola scilicet ad Hebræos, v. g. qvòd non potuerint sanctificare consci-  
entias, qvòd accedentes sanctificare non potuerint, qvòd sanguis hir-  
corum & taurorum peccata auferre nequiviverit, qvòd peccata sub Ve-  
teri Testamento manserint, donec Christi morte fuerint expiatae.  
10. Interim tamen, cùm sanctificationem iis tribuat Leviticus, non  
ex se, sed typicè, accedente præsertim explicatione Novi Testamenti,  
unde lucem fœneratur Vetus, non secus ac Luna suam lucem à Sole  
mutuaticiam habet, dicente Lutherò, peccata expiassè credimus.  
11. Eò ipsò tamen satisfactionem Ceremonialem & Leviticam in fo-  
ro Ecclesiastico, quam verè, uti moralem typicè præstabant, iisdem  
non denegamus. 12. Objiciunt porrò, qvòd ḡēσις suam possint ἀγ-  
Ωνιματεῖν, non pro peccatis gravibus, sed levibus, utpotè pro ἀγνο-  
μiā, peccatis ignorantiae & similibus sacrificia fuisse oblatae.  
13. Sed respondemus, exclusivam esse falsam, qvia pro perjurio, ne-  
gatione depositi, rapto violento, qvæ certè sunt peccata grandia, san-  
cita fuisse sacrificia docet cap. 5. Lev. v. 2. 3. & ab omnibus iniqvitatibus  
populi Israëlitici sanguine victimæ purgandum fuisse sanctua-  
rium probat cap. 16. Lev. v. 16. 14. Et licet pro illis, qui capitali sup-  
pliciō afficiebantur, non legatur certum ordinatum sacrificium, (cùm  
Reipublicæ intererat, ne crima planerent impunita) tamen qvin-  
jugi sacrificio & anniversario, ad quod pertinebat hircus apopom-  
pœus, cui omnia omnino peccata maxima minima (uti tribus vicibus  
particula universalis repetitur) totius populi imputabantur, fuerint  
inclusi, nulli dubitamus. 15. Quid? qvòd grandia & capitalia ista  
delicta vel fuerint clandestina, vel notoria. 16. Si notoria, fontes  
ad pœnas poscebant: si clandestina, Sacerdoti Confessionario, qui la-  
pidi sibi dicta ista putabat, poterant aperiri, & ita una cum reliquis  
17. Sacrificio expiari. 17. Tacitè hypothesin aliquam hoc Adversario-  
rum avt̄ritatib⁹ involvit, regulariter & ordinatè levia duntaxat, non  
etiam petulantia & magna peccata remitti hominibus. 18. Hinc  
etiam grandia committentibus salutem denegant, si morte violentâ  
tollantur è medio, aut à carnifice jugulentur, Magistratum, qvatenus  
usum gladii exercet, & bellagerit, improbant, imò de pœnitentium  
qvoque post ejusmodi grandium peccatorum patrationem salute du-  
bitant.

bitant. 19. Quæ omnia, cùm propter σῶμα ἡγὶ ὄφες errorum  
saltem adducantur, recitâsse est resutâsse. 20. Restat, ut etiam  
istud, quod in primis urgent Photiniani, an Veteres sacrificia pro ty-  
pis Christi agnoverint, propterea, quod neminiutissimus hac de re a-  
pex in Veteri Testamento extet, aperiamus. 21. Nullum hujus rei  
vestigium extare, vel sola phrasis toties repetita, sacrificia DEO esse  
in odorem quietis satis refutat. 22. Quâ ratione, quæso, DEUS in-  
censâ pinguedine fætorem alias emittente tām impensè posset dele-  
Etari, nisi tām suave oluisset in illis sacrificiis Agnus DEI latus in  
plenitudine temporis peccata mundi, Joh. i. v. 16. Et in odorem bonæ  
fragrantie, uti Paulus in Epistola ad Ephes. cap. 5. v. 2. loquitur, se se  
pro peccatis mundi oblaturus. 23. Nec ceremonias mutas & inania  
spectacula fuisse sacrificia ista putemus, sed preterquam, quod ABC-  
darios istos & pueros sub pædagogo constitutos prima de Christo ele-  
menta docuerint, conciones legales & Evangelicas à Sacerdotibus, ad  
quorum partes munus docendi spectabat, in hoc publicorum conven-  
tuum nervo fuisse adhibitæ persuassimum nobis habeamus.

#### THESIS V.

Fundamentum V. locus Esa. cap. 43. v. 10.  
Servire metecisti in peccatis tuis, laborare me  
fecisti in iniqvitatibus tuis. Ego, Ego sum, qui  
deleo prævaricationes tuas propter me, & pec-  
catorum tuorum non recordabor.

#### "Εὐθεσις.

1. **L**ocum hunc de CHRISTO agere τὰ ἐν κύρῳ, uti Aristoteles  
vocat circumstantias, satis probant. 2. Narra, si quid habes,  
unde justificeris, inquit DEUS Filius pro genere humano ἐγένετο  
v. 26. Quibus verbis omnem fiduciam, quam collocabant in propria  
merita, præsertim in sacrificia ex opere operato exhibita Iudei, ab-  
jicere, omnemq; suam justitiam penes se solum querere jubet. 3. In  
antecedentibus de beneficiis per Christum in Novo Testamento offe-  
rendis, uti sunt Ecclesiæ in omnibus periculis defensio, gentium vo-  
catio, spiritualis liberatio; in posterioribus verò de abjectione Syna-

C

gogæ

4 gog & Judaice propter rejectum Messiam agitur. 4. Non descendit  
jam ad loca parallela, uti sunt cap. 53. Esa. quod servitutem fidelis il-  
lius servi, qui attritus propter scelera nostra, satis describit, & de  
Christo accipiendo esse fatentur ipsi Antagonistae: nec c. 2. Phil. v. 7.  
quod Christum servi formam assumisse, Patriq; suo usq; ad mortem  
crucis obedientem factum dicit: nec totam analogiam fidei, quae in  
solō Christō remissionem peccatorum & salutem nos querere jubet.  
5 Sic igitur ex hoc loco inferimus: Quicunque servivit in pecca-  
tis nostris, & laboravit in iniqvitatibus nostris, ut deleret præva-  
ricationes nostras, ille nostrō locō iustitiae DEI satisfecit. Sed  
CHRISTUS &c. E. Major, stante nostrā hujus loci explicatione, suā  
luce lucet. Minorem ex contextu, locis parallelis & analogiā fidei  
probavimus. 6. Excipiunt Photiniani à Qārtiū & verè in hoc lo-  
co vespertilioes ad clarissimum Solis lumen caligantes, hunc locum  
non de CHRISTO, sed de DEO Patre accipiendo esse nāl' à v. qew-  
pōtābēiā de molestia, quam propter peccata hominum punienda  
sustinere cogatur, conquerente, ut ita sensus sit: Servire & laborare  
me fecisti in peccatis tuis non dando, sed accipiendo pœnas. 7. Pro-  
bant hanc suam ἐξηγνωντες inde, quod hisce verbis res jam tempore  
Esaiae præterita, non vero adhuc futura, qualis erat redemptio per  
8 Christum, commemoretur. 8. Verum hunc locum de Christo esse  
accipiendo urgemus, & viscerat textus & locorum parallelismus &  
fidei analogiam, Adversariorumq; falsam hypothesin, quasi Christus  
non esset verus DEUS, (quæ dubio procul ad negandam satisfactio-  
nem ipsis ansam præbuit) ad orcum damnamus. 9. Non autem con-  
queri b. l. DEUM de servitute & labore suo, quem in puniendis Ju-  
daicis sustinere cogatur, ex eo videre licet, quod non ut iratus, sed ut  
placatus, qui peccata velit remittere & delere, introducatur. 10. Fun-  
damentum, cui suam superstruunt explicationem, est prorsus arenosum,  
quasi Prophetis hoc non sit solenne, ut propter certitudinem  
eventus de re futurâ tanquam de præteritâ loquantur. 11. Unum  
sit instar omnium vaticinium, Esa. cap. 9. v. 6. Puer natus est nobis,  
& Filius datus est nobis, cum tamen à tempore hujus vaticinii  
editi usque ad ipsum complementum sexcenti  
præterpropter anni fuerint  
interjecti.

THE-

THESIS VI.

Fundamentum VI. vaticinium Esa.cap. 53.  
pro satisfactione CHRISTI ex V.T. adstruenda  
ferè Achilles: Verè langvores nostros ipse tulit,  
& dolores nostros ipse portavit: & nos putavi-  
mus eum percussum à DEO & humiliatum.  
Ipse autem vulneratus est propter iniqvitates  
nostras, attritus est propter scelera nostra, disci-  
plina pacis nostræ super eum, & livore ejus sa-  
nati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus,  
unusqvisque in viam suam declinavit, & posuit  
DOMINUS in eo iniqvitatem omnium nostrum.

"Enθεσις.

1. **Q**uantumvis Judeorum quidam de Propheta, quidam de populo  
Judaicō locum hunc intellectum velint, qvibus in primis Chald.  
paraphrasin (cùm autoritate illius teneantur) eundem de Messia ex-  
ponentem objicere possumus, cùm tamen ob citationes aliquoties in  
Novo Testamento factas Photiniani & ipsorum complices de Christo  
accipi largiantur, in subjecto hujus loci, de quo verba fiunt, inquiren-  
do prolixiores esse nolumus. 2. Ita verò ex hoc loco colligimus:  
Qvicunque suscepitis in se omnibus iniqvitatibus nostris verè  
langvores & dolores nostros portavit, propter iniqvitates no-  
stras à DEO vulneratus, & propter scelera nostra attritus est, ita  
ut nos pacem haberemus, & livore ejus sanaremur, ille pro pec-  
catis nostris satisfecit. CHRISTUS &c. 3. Majorem probat illa  
permutatio, qvā innocens unus alterius nocentis vice patitur, ut, luen-  
te uno, salvus evadat alter. Minorem, stante hac explicazione, Adver-  
sarii non negant. 4. Postquam verò in pervertendo integro systema-  
te Theologico nihil hactenus operæ fecerunt reliqui, mirum qvomo-  
do in locis ejusmodi apertissimis elidendis & eludendis sese torqueant.

§. I.

2

3

4

C 2

unius



unius loci plures interdum dari explicaciones, verum licet inter il-  
lis una proprius accedit ad literam, quam altera, omnes tamen fidei  
sunt analogae, & nisi ad hanc normam quadrarent, pro rejiculis essent  
5 habenda. 5. Violentæ vero detorsiones sunt & idia è πιλυτικis ex-  
pliaciones Photinianorum, quæ suā vanitate fluctuantes nostras men-  
6 tes veluti anchorā quādam sistere possunt. 6. Excipiunt itaque,  
unius rei plures esse possē fines, nec statim seqvi : Christus percussus,  
vulneratus, attritus est propter peccata nostra. 6. pro peccatis no-  
7 stris justitiae divinæ satisfecit. 7. Christum autem non decretō ali-  
quō divinō, sed occasionaliter passum esse, prout Mercator per mare  
iter faciens, naufragium incurrit, suā morte & sanguinis effusione  
tanquam sigillo novam doctrinam de vita æterna confirmasse, nobisq;  
των γαμού, ut ipsius premamus vestigia, reliquias volunt. Et ita  
sensus erit : Christum propter peccata nostra emendanda & exem-  
8 plariter corrigenda percussum & à DEO vulneratum esse. 8. Præ-  
terquam autem, quod locum istum detruncent & discerpant, conse-  
9 quentiam nostram bonâ fide non adducunt. 9. Non enim tam nudè  
& crudè argumentamur : Qvicunq; percussus, vulneratus & at-  
tritus est propter peccata nostra, ille pro peccatis nostris justitiae di-  
vinæ satisfecit. Sed ita : Qvicunq; susceptis in se peccatis alterius,  
propter illa percussus, vulneratus & attritus est à DEO, ita ut alter  
pacem habeat, & livore ejus sanetur, ille pro altero satisfecit.  
10. Omnia enim, quæ in satisfactione ex Adversariorum quoq; mente  
desiderantur, nempe reus, nos omnes ; Judex, DEUS ; Satisfactor  
Christus & premium redēctionis, livor, dolor, vulnera hic concur-  
runt. 11. Christum vero occasionaliter tantum, non ex decreto di-  
vino passum esse, tam falsum est, quam quod falsissimum. 12. Ita  
quippe Messias Psal. 40. v. 8. Ecce adsum, in volumine libri de me scri-  
13 ptum est, voluntatem tuam, DEUS mi, facio libenter. 13. Ita Sal-  
vator ad discipulos Luc. 18. v. 31. 32. Ecce ascendimus Hierosolymam,  
& consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio  
hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & contumeliis affi-  
cietur & consuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.  
14. Ita Petrus Act. 4. v. 27. & 28. Convenerunt adversus sanctum Fi-  
lium tuum JESUM, quem unxerat, Herodes simul & Pontius Pilat-  
tus cum gentibus & populis Israël ad faciendum, quæcunq; manus  
tua

tua & consilium tuum prius decreverat, ut fierent. Ubi vocabulum  
Consilii non ad impium Iudeorum factum, quod DEUS saltem per-  
misera, sed ad opus redēctionis, quod DEUS pro immensa sua sapi-  
entia ex permissione sceleris istius elicere voluit, manus verò ad istius  
directionem & determinationem referenda. 15. Hypothesis insu-  
per, quam hæc sententia involvit, peccata non cadere sub præscien-  
tiam DEI, tam futilis est, ut mirum sit, homines in lectione Bibliorum  
tam versatos à Deo hujus seculi sic excœari, ut clarissima lux Evan-  
gelii ipsis non fulgeat. 16. Quod verò confirmationem doctrinæ finem  
passionis Christi dicant, ex eo tantum Martyrem, uti Stephanum,  
Laurentium, Husum, Christum faciunt, cùm tamen Scriptura non  
μαρτυρίου duntaxat, sed λύτρον & αὐλαύτρον mortem Christi i. Ti-  
moth. 2.v.6. appellitet. 17. Exemplum quoque vitæ & mortis suâ nobis  
reliquisse Christum non imus inficias, sed finis primarius, qui est sa-  
tisfactio pro peccatis nostris à secundario, qui est παραγαμμῆ relati-  
o, accuratis limitibus venit discernendus. 18. Ultrumque connectit  
Petrus i. Epistola c. 2.v.21. Christus passus est pro nobis, relinquens no-  
bis exemplum, ut inseque remini vestigia ipsius, & veteres in suo apobo-  
rismo: Christus à DEO nobis datus est ut donum, & ut exemplum.  
19. Configiunt Antagonistæ præterea ad verbum Hebr. οὐδέ qvod  
simplicem ablationem & abjectionem significare, multis hinc inde con-  
quisitis locis probare contendunt, & ita Christum non pœnas peccato-  
rum nostrorum dando, sed illa condonando, & ex æquitate remitten-  
do peccata nostra dicunt abstulisse. 20. Diversas autem hujus voca-  
buli significationes concedimus quidem, sed tamen ex subjecta mate-  
ria, si ejusmodi vocabulum ἐν τῷ ωλλαχῷ καὶ ωσταχῷ λεγο-  
μένων occurret, significationem eruendam statuimus. 21. Jam verò  
συνάφειa textū nihil aliud vult, quam quod Christus ita peccata no-  
stra abstulerit, ut illa prius tulerit, & tanquam grave onus bajulaver-  
it. 22. Ita enim contextus: Castigatio pacis nostræ super eum, & fe-  
cit Dominus in ipsum incurrere omnia peccata nostra. 23. Illi taceam,  
vocabulum ablationis portationem se penumerò includere, v.g. Job.  
20.v.15. Κύριε, εἰ σὺ εἰδας ατας ἀντόν, Domine, si tu abstulisti, dic  
mihi. Ubi certè iste hortulanus, Christum sic abstulisse putatur, ut  
illum prius humeris suis tanquam grave onus suscepit bajulaverit.  
24. Locum Matth. 8.v.17. quem citant Adversarii pro statuminanda

25 suâ sententiâ, non moramur. 25. Siqvidem per verba ἔλαβεν γις ἐθά-  
σατε verba Hebr. וְנִזְמָן ibidem redduntur, quæ certè si-  
gnificant onus aliquod in se suscipere & portare. 26. Licet autem non  
portarit Christus materiale morborum, formale tamen omnibus mor-  
bis adhærens, nimirum maledictionem portavit: & licet personali-  
bus morbis, v.g. febri, doloribus calculi, podagrâ nunquam fuerit col-  
luctatus, communib[us] tamen infirmitatibus ναὶ οἰκονομίαν fuit sub-  
iectus. 27. Si verò de materiali & personalibus morbis ibi verba fieri  
morosius quis urgeat, ei locutionem illam Metonymicam, sive, ut alii  
vocant, Metalepticam esse, ubi effectus pro causa, ablato pro ipsa la-  
tione sumitur, regerimus.

#### THESES VII.

Fundamentum VII. ex N. verò T. primum  
locus Matth. 20. v. 28. Non venit Filius hominis,  
ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, &  
daret animam suam redēctionem pro multis.

#### \*Enθεσις.

I. §. 1. Ut Novum Testamentum veteri clarius est: Ita & argumenta,  
exinde ducta satisfactionem CHRISTI pro peccatis nostris  
evidenter probant. 2. Inter illa verò in acie, ut ordine secundum  
seriem librorum Biblicorum N.T. procedamus, stare potest dictum  
Matth. 20. v. 28. quod sudes, est in oculis Antagonistarum, ideoq[ue] in eo  
pervertendo τῷ Χριστῷ λαζαροῖ laborant. 3. Redēctionem enim simpli-  
cem & metaphoricam, quæ absque precii fiat interventu, intelligi vo-  
lunt, & in coacervandis Scripturæ locis, ubi in tali significatione ve-  
niat, multi sunt. 4. In primis urgent locum Actor. 7. v. 37. ubi Moses,  
qui tamen premium nullum pro Israëlitis, ut è captivitate Pharaonis li-  
berarentur, persolvit, λυτρωθῆς dicitur. 5. Verum enim verò, qvan-  
do Christus Redemptor noster dicitur, non simplicem & metaphori-  
cam, sed propriè dictam, quæ interposito precio fiat, intelligi libe-  
rationem, denominatum in Scriptura premium satis ostendit. 6. Di-  
citur enim animam, vitam, sanguinem fundere; vulnera, livores  
sustinere pro redēctione generis humani. Hoc loco premium interve-  
niens dicitur anima, seu vita, quam pro liberatione multorum, id est,  
omni-

omnium hominum, qvorum cerè non pauci, sed multi sunt, se datum  
rum promittit Salvator. 7. Unde etiam per τὸ ἀγοράζειν ήτι ἔχει  
ἀγοράζειν per emtionem & acquisitionem passim in Scriptura exponi- 7  
tur, v.g. 1.Cor.6.v.20. an ignoratis, vos non esse vestri juris? τιμῆς,  
id est, caro precio emti estis, & 1.Petri 2.καὶ ἀρσενικόν tollitur aurum,  
& argentum corruptibile, tanquam inutile precium, & nobis nullō  
modo proficuum, & κατὰ θέσην substituitur verum precium sanguis  
innocentis & immaculati Agni JESU CHRISTI. 8. Quidam etiam  
in particula Pro, quam non vice & loco, sed bono & commodo alte- 8  
rius exponunt, uti Paulus afflictiones pro Ecclesia sustinere dicitur  
cap.1. Coloss. v.24. elabendi rimam querunt. 9. Sed ne dicam jam, 9  
quod significatus ille posterior, si de præpositione ὡς usurpatur, sit  
particularis (quod ostendit insignis ille locus Job. cap.11. v.50. expedit,  
ut unus homo moriatur pro populo) ex circumstantiis textus & aliis  
Scripturam interpretandi mediis dijudicandus, non tantum particu-  
la ὡς, sed & αὐτὶ, quæ semper vicem significat, ut ὁ Φθαλμὸν αὐτὶ<sup>10</sup>  
ὁ Φθαλμὸς Matth. 5.v.38. de satisfactione Christi adhibetur. 10. Et  
haec particula αὐτὶ hōc quoq; loco Matth. 20. ponitur, unde & precium  
istud redemptionis αὐτίλυτον, id est, premium, quod alterius vice solvi-  
tur, 1.Tim. 2.v.6. dicitur. 11. Paupērūm non vice, sed bono Ecclesiæ pati  
totus contextus & fidei analogia probat. 12. Dicit enim, se implere  
ὑπερημata, & reliquias passionum, quæ desunt corpori Christi mysti-  
co, suum demensum accipiens, ut aliis fidei, patientiæ & constantiæ  
exempli præiret. 13. Idem Apostolus non in justitia propria, uti Pho-  
tiniani, qui vita innocentia, sive fide, cuius anima est obedientia,  
mandatorum divinorum, salvari volunt, sed in justitia JESU CHRI-  
STI per fidem sibi imputata omnem fiduciam suam collocat. 14. Ex  
hoc autem loco talis collectio resultat: Qvicunq; animam suam  
dat λύτρον pro multis, id est, omnibus hominibus, ille pro mul-  
tis istis satisfacit. CHRISTUS &c. E. Major probatur, quia λύ-  
τρον descendens à verbo λύω, id est, solvo, sicut διδακτον à διδά-  
σκω significat premium redemptionis, quod interveniente, captivus  
è potestate illius, à quo tenetur, liberatur. Minor, salvā  
majore, in concessō est, & in con-  
fesso.

THE-



## THESIS VIII.

Fundamentum VIII. locus Matth. 26. v. 28.  
Hoc est sanguis ille meus N. Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

"Εὐθεσίς.

- §. 1. 1. E pitomen & medullam Evangelii continere Sacra menta, ex verbo promissionis actioni Sacramentali annexo satis appareat.
2. Mutuatus autem est Christus haec verba ex ore Mosis sanguinem inter DEUM ( ex cuius parte erat liber fæderis ) & Israëlitas spargentis : Hic est sanguis Testamenti, Exod. 24. v. 8. Hebr. 9. v. 20. quibus Christus addit, quod sit suus & Novi Testamenti sanguis, ad preciosissimum hunc sanguinem pro peccatis mundi fundendum à sanguine pecudum discernendum.
3. Hinc Lucas cap. 22. v. 20. ex Paulo verba Matthæi sic exprimit : Hoc est Novum Testamentum in sanguine meo.
4. Facta verò est acquisitio novi hujus fæderis in ara crucis, applicatio fit in Sacramentis, cum v.g. ore corporis sanguinem, & ore fidei bona sanguine isto parta bibimus, & vitam inde spiritualem & eternam consequimur.
5. Ita verò ex hoc loco argumentamur : Quidcumque sanguinem suum fudit pro altero, ut remissionem peccatorum is inde consequatur, ille satisfecit pro altero. CHRISTUS &c. E. Major probatur, quia si Christus sanguinem suum fuisse saltem bono aliorum, vel ut exemplum iis relinqueret, vel ut doctrinam suam obsignaret, uti Paulus & reliqui Apostoli, remissionem peccatorum exinde nemo consequeretur. Minorem nisi perficit & frontis nemo negabit.
6. Tria excipiunt, vel si Theologiae suæ systema tueri volunt, excipere possunt Adversarii.
7. Primo enim sanguinem Christi N.T. sanguinem dici volunt ex eo, quod novum fædus sanguine isto fuerit confirmatum.
8. Differentia verò utriusque Testamenti secundum illorum doctrinam in diversis promissionibus & Legibus moralibus diversimode completis consistit.
9. Promissiones in V.T. tantum de rebus corporalibus, in N.T. de vita æterna factas volunt :
- V.T. perfectiorem obedientiam quoad gradus, N.T. quoad partes, cum multa præcepta Mosaicis à Christo fuerint adjecta, requisivisse statuunt.
10. Et hoc novum fædus, DEUM scilicet vitam æternam novis

novis Christi mandatis obtemperantibus daturum, Christum sanguine suo confirmasse dicunt. 11. Missō istō, quod ex utraque parte concessum, Christum sanguinis sui effusione novum fœdus confirmasse, (quantumvis eadem non pœnitū eis duntaxat, sed etiam λύτρον Εὐτίλυτρον sit, ut docet Apostolus 1.Tim.2.v.6.) tamen differentiam istam, quam ponunt Adversarii in utroque Testamento, non possumus admittere. 12. Si enim N.T. pro statu Ecclesiæ ante Christum accipiunt, uti accipere illos in aprico est, promissiones tantum de rebus corporalibus, non verò de spiritualibus Patribus factas negamus, & provocamus hic ad promissiones superius in fundamento tertio adductas. 13. Christum verò nova præcepta veteribus adjecissemus, v.g. de vitanda polygamia, de ira cobibenda, de juramentis intermittendis, quæ in V.T. non fuerint peccata, tantum abest, ut asseramus, ut potius Legis Mosaicæ fidem Interpretem, & à corruptelis Mosaicis vindicem statuamus. 14. Deinde crambem suam multoties cum nausea Ecclesiæ recoquunt, particulam τοῦτο non vice & loco, sed bono & commodō exponentes. 15. Hinc etiam nobis illam Scripturæ phrasin, quâ Christus pro peccatis nostris mortuus dicitur, objiciunt. 16. Sicut enim non vice peccatorum, sive delictorum: Ita nec vice peccantium mortuum esse inferunt. 17. Sed dispar est ratio, quando pro peccatoribus, & quando pro peccatis dicitur mortuus. 18. Si quidem in priori phrasi præpositio personæ, in posteriori verò rei additur. Persona mori poterat, peccatum mori non poterat. Sanginem suum fudit Christus pro hominibus, id est, loco hominum, ut pro iisdem satisfaceret, pro peccatis, (propter peccata, seu causâ peccatorum) ut ea expiaret & tolleret. 19. Tertio, sanguinem Christi pro nobis fusum garriunt in remissionem peccatorum, ut constet, DEUM non ex rigore, sed æquitate peccata nobis condonaturum, & contentum fore illo studio, quô ad perfectionem homines adspirant, etiamsi perfectionem illam nunquam fuerint assecuti. Paucis: Fussum esse in signum liberalis peccatorum remissionis. 20. Duplicem enim faciunt perfectionem absolutam & comparatam. Illam describunt, quando quis nunquam ne semel quidem peccavit: hanc verò, quando quis nullius peccati habitum sibi contraxit. 21. Prior in N.T. ex ipsoqum sententiâ ad salutem non est necessaria, sed sufficit ad illam adspiratio, posterior verò, cuius certos gradus faciunt, est

D

necessaria.

22 necessaria. 22. Hisce Φορμωτάριος Scriptura è diametro se opponit, nec iota, nec apicem de Lege perire posse, donec omnia fiant, iuramento interposito, asseverans Matth.5.v.18. Maledictum pronuncians, qui non permanserit in omnibus verbis Legis hujus, Deut.27, v.26. cum tamen, qui in uno impegerit, reus sit omnium, Jacobi 2. v.10. δικαιώμα τῆς ψυχής implendum statuens, Rom.8.v.4. 23. Jam verò Lex illa vel impletur à nobis, vel à Christo. Non à nobis, cum Lex per carnem sit infirmata, Roman.8.v.3. cum simus carnales sub peccatum venundati, Rom.7.v.14. cum voluntibus nobis facere bonum malum adjaceat, Rom.7.v.21. Ergo à Christo, qui τέλος τῆς ψυχῆς, id est, perfectio Legis, Rom.10.v.4. qui in nostro loco ἐνδό τὸν ψυχὸν factus, Gal.4.v.5. ut eos, qui sub Lege essent, redimeret, qui maledictio factus, ut benedictio Abraham in gentes veniret, Gal.3.v.13.

#### THEISIS IX.

Fundamentum IX. locus Act.20.v.28. Attende vobis & toti gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam DEI, quam propriō sanguine acquisivit.

#### "Επιστολη.

1. S. 1. **T**anquam gemmula quædam hic locus inter reliquos N.T. præadstruendā satisfactione Christi scintillat. Quare operæ premium futurum arbitror, si in ipso quadam tenus enucleando, præsttim propter exceptiones Adversariorum, sim prolixior. 2. Subjectum hujus propositionis, in quo cardo controversia hic volvitur, est DEUS non αταρητός, qui non habet sanguinem, sed εὐταρητός, qui in plenitudine temporis humanam naturam assumit, & in assumta natura humana opus redēctionis perfecit. 3. Nec enim nudus homo, vel nudus Angelus infinitæ divine justitiae peccatis nostris læsæ λύργου ἵστορρον persolvere poterat, (id quod non negant Adversarii, sed suam propugnantes sententiam ut caput Gorgonis nobis potius obvertunt) sed infinitam personam, quæ huic oneri esset ferundo, humanam assumere naturam, & in illa pro peccatis nostris pati ac mori oportebat. 4. Quod cum dicimus, non haec mens nostra est, quasi DEUS αταρητός καὶ αδίστατός in sua natura & essentiā, sed quod

in unitate personae passus & mortuus fuerit. 5. Quam verè enim  
humananatura per unionem personalem FILIO DEO arctissime u-  
nita, ut cum ipso unum σύνδεσθε constituat, propria DEI caro dici  
potuit, tam verè quoque sanguis humanæ naturæ in aracrucis pro-  
fusus proprius DEI sanguis diei potest. Hinc propositiones idioma-  
ticæ personales præsupponunt, adeò, ut si verum sit, DEUM esse ho-  
minem, verum quoque sit, DEUM fundere sanguinem, DOMINUM  
gloriæ crucifigi, Autorem vite interfici. 6. Non quidem nos fugit, u-  
surpatam fuisse à quibusdam orthodoxis Theologis locutionem istam  
Patrum imitatis Vita mortua est in ligno, phrasin istam, Deitas  
passa est, verum propter Adversarios, ne Theopaschitarum errorem  
videamur incurrere, tutius ab ejusmodi locutionibus abstractivis  
abstinemus. 7. Prædicatum est ἡ ποίησατ, id est, acquisivit, re-  
demit. 8. Peccatum enim distinguit inter DEUM & homines, Esa.  
59. v. 2. & nos eramus τῇ Φύσει naturā, seu à primō conceptionis  
momentō, filii iræ, Ephes. 2. v. 3. Christus verò suā passione & morte  
nos fecit filios gratiæ, & DEUM iratum nobis fecit placatum, qui pro-  
pterea iλασμὸς pro peccatis nostris dicitur, 1. Joh. 2. v. 2. 9. Hanc τε-  
ποίησιν alibi Scriptura καταλλαγῆς uoce exprimit pulchram  
permutationem, quā DEUS nobis & nos DEO reconciliati sumus, in-  
nuens. 10. Licet enim urgeant Antagonistæ, Scripturam nunquam  
dicere, DEUM nobis, sed nos DEO reconciliatos esse satisfactionis do-  
ctrinæ hæc ratione detracturi, tamen cùm reconciliatio sit χειρὸν τι,  
& mutuum habeat respectum non ad reconciliantem solum & ad re-  
conciliatum, sed etiam ad lēdentem & Iesum, permutation illa immo-  
tō stare talō potest. 11. Qvōd verò Scriptura DEUM nobis reconciliatum  
non dicat, ratio hæc est, quia nos eramus pars offendens, DEUS  
autem pars offensa: homo erat in culpa, DEUS extra culpm: homo  
reconciliatione indigebat, nisi aeternū perire voluisse, DEUS inte-  
rim mansisset αὐτοφεύσατ. 12. Qvare ita ex hoc loco colligimus:  
Qvicunqve proptiō sanguine Ecclesiam sibi acquisivit, ille pro  
peccatis Ecclesiæ (quod tamen objectum principale non excludit ob-  
jectum passionis adæquatum, nimirum totum genus humanum) sa-  
tisfecit. CHRISTUS DEUS & homo &c. E. Major probatur, quia  
per peccatum homines erant alienati à DEO, per sanguinem verò  
Christi DEO iterum reconciliantur. Minor penes Adversarios est

13 μῆλον ἔριδος. 13. Non enim de Christo, quem verum DEUM esse  
negant, sed de DEO Patre b. l. sermonem esse dicunt vi suā hypothe-  
ses: Ubiunque vocabulum DEI stat loco subjecti in Enunciatione,  
ibi de vero DEO sermo est. 14. Nos potius ambibus, vel quatuor, si  
essent, manibus hoc arripientes, exinde vi prædicati Christum verum  
DEUM esse evincimus. 15. Talia enim sunt subjecta, qualia permit-  
tuntur à predicatis. Jam vero prædicatum proprio sanguine redi-  
mere Ecclesiam, præter Christum, nemini competere potest. 16. Ad  
DEUM Patrem figuratè hæc referri, sicut Zachar. 2. v. 8. Qui vos te-  
tigerit, pupillam oculi mei tangit, cum Ostorodo & complicibus exci-  
pis? 17. Sed obstat adjectivum ὅμοιος, (ὅμοιος αἵματί) quod hanc  
detorsionem non admittit. Ille nimis sanguis intelligitur, atte-  
stante Scripturæ ῥᾳδιαγραφia, quō sumus redempti. Sed nullo aliō  
sanguine, quam Christi sanguine precioso, 1. Petri 1. v. 19. in aracrucis  
pro nobis fusō emti sumus & redempti. 18. Unde & per hoc adjecti-  
vum ὁμοιός sanguis Christi ab omni alio sanguine, v. g. brutorum in  
V.T. accuratis limitibus discernitur in Epistola ad Hebr. cap. 9. v. 12.  
Non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium san-  
guinem semel ingressus est in sancta aeternâ redemptione parta, & in  
19 Apocal. cap. 5. v. 9. Redemisti nos DEO per sanguinem tuum. 19. Con-  
cinit huic explicacioni nostræ locus 1. Jovan. 3. v. 16. ubi vocabulum  
DEI subjecti loco ponitur, & prædicatur de eo, quod animam suam  
20 pro nobis posuerit. 20. Quem locum, cùm Photiniani de Christo in-  
telligant, cur in luxando priore ita sudant?. 21. Lateat, quod Syria-  
ca versio, licet non infallibilis, ob antiquitatem tamen nobis maximè  
22 probabilis, de Christo hunc locum Actor. 20. v. 28. intelligat. 22. Nec  
obstat, quod DEUS ipse Ecclesiam acquisivisse dicatur, nemo autem  
23 ex Photinianorum sententiâ sibi metipsi possit satisfacere. 23. Filius  
enim DEI vel consideratur ut secunda Deitatis persona, quatenus Pa-  
tri & Spiritui Sancto est ὁμοίος, & ita tanquam pars laesa λύτρον  
justitiae suæ pro peccatis mundi solutum accepit, vel ut humanam in-  
duit naturam, sive ut Mediator, & sic λύτρον istud persolvit, uti cla-  
rè docet Apostolus 1. Cor. 5. v. 19. DEUS erat in Christo mundum re-  
24 concilians sibi, non imputans ipsis peccatum suum. 24. Quod prædi-  
catum nostræ propositionis concernit, sequelam negant Adversarii:  
Christus (καὶ) αὐτοπάσας in subjectum nobis largiendo suo san-  
gine

gvine acquisivit Ecclesiam. Ergò pro peccatis nostris satisfecit. Sicuti  
enim milites, seu athlethæ brabéum cum præsentissimo vitæ discrimi-  
ne acquirunt, & tamen nullius justitiae satisfaciunt: Ita Christus  
suum sanguinem profudit, ut nos sibi peculium acquireret, nec tamen  
Patris justitiae propterea pro nobis satisfecit. 25. Verùm si unquam 25  
obtinuit istud Logicorum: τῶν ὄμοιον ἀνόμων, hic certè obtinet.  
Non enim Christus simpliciter, sed interposito λύτρῳ ponendo ani-  
mam suam, fundendo sanguinem, sustinendo livores, vulnera ( quæ  
omnia non quadrant ad simile allatum) è captivitate nos redemisse  
dicitur. 26. At qualis λύτρων (regerunt) tale etiam λύτρον. 26  
λύτρων est simplex & metaphoricus, uti Moyses Actor.7.v.35. Ergò  
& λύτρον v.g. vita, quam impendit, metaphoricè dicitur precium,  
eo quod mors Christi, per quam liberamur à peccatis, similis quodam-  
modo sit precio, quo captivus è captivitate liberatur. 27. Sed vo- 27  
cum proprietas deserri non potest, nisi ubi res urget. In hac verò do-  
ctrinâ Scriptura sibi maximè constans μυρελογία retinendam esse  
monstrat, quia vita Christi dicitur precium, Matth. 20.vers.28. idq.  
communis rationis cum aurô & argento, quod ad res venales mer-  
candas solvit, i.Petri 1.v.18. 28. Nec unquam, cùm Moyses li- 28  
berator Israëitarum dicitur, sanguinis, vel vitæ, quam precii loco in-  
terposuerit, sit mentio. Unde non tam quoad liberationis modum,  
quam ipsam liberationem inter Christum & Mosen institui debet  
comparatio.

#### THESIS X.

Fundamentum X. Rom. 3.v.24,25. Justifica-  
mur gratis per illius gratiam, per redemtionem,  
quæ est in CHRISTO JESU: quem proposuit  
DEUS propitiationem per fidem, interveni-  
ente ipsius sanguine, ad ostensionem justitiae  
sua.

#### "Endeic."

¶ **M**ulta sunt in hoc loco, quæ sententiam nostram de satisfactione  
Christi pro peccatis nostris fulciunt & statuminant. 2. Pri- 3. 1.  
mo 2

mo enim dicit Apostolus, nos justificari gratis, per gratiam, per redemtionem, quae est in Christo IESU, δωρεὰν τῆς αὐτῆς χάριτος. Αγαρῆς δόπολυτεώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ινστορίᾳ. 3. Hic ne quis adolexiav putet, vel sententiae Bellarmini de duplice justificatione prima & secunda subscribat, per prius vocabulum δωρεὰν οὐτὸν ἀργον removet Apostolus omne meritum ex parte nostrā, per posterius vero τῆς αὐτῆς χάριτος ηταν θέσιον veram justificationis nostrae causam, gratuitum scilicet DEI favorem merito Christi nixum monstrat. Unde Luther. vigebras Germanicè reddidit, Und werden ohne Verdienst gerecht aus seiner Gnaden. 4. Jam vero Photiniani justificationem suam in obedientia mandatorum divinorum querentes non justificantur δωρεάν, cum in hoc forum merita propria intrudant, licet quae sibi desunt ad perfectionem liberaliter, & ex aequo a DEO remitti statuant. Quid si peccata (secundum illorum sententiam) ex nuda DEI voluntate estimantur, nec divina natura repugnant, peccata esse poterunt non peccata, & peccatorum enormissimus, volente DEO, non minus, quam qui summum perfectionis gradum in hac vita consecutus est, salvare poterit. 5. Id ipsum vero, quomodo cum assertione suā, peccata grandia committentibus, si morte violentā extingvantur, salutem esse denegandam, conciliabant. 6. Nec justificantur τῆς χάριτος τῆς Θεοῦ, gratuitō DEI favore, cum ille nitatur merito Christi, sicut verbamox sequentia declarant: Αγαρῆς δόπολυτεώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Κυρίῳ, id est, per redemtionem, quae est in Christo IESU. Meritum autem & sanguinem Christi, quā τιμῆς emti sumt, hi crucis hostes pedibus conclicant. 7. Deinde, quod ex hoc loco maximè urgamus, Christum pro peccatis nostris satisfecisse verba ista εἰμὶ Φαίνωσατε probant αὐτοὺς: Christum a DEO nobis esse propositum ιλαστήριον in sanguine suo eis ἐνδειχνύοντα σωτῆρα τῆς Θεοῦ. 8. Notandum hic 1. cur Christus dicitur ιλαστήριον? quia scilicet DEUM ob peccata nobis prius infersum passione & morte suā nobis fecit placatum, cuius rei operculum arcæ fæderis, ad quod DEUS gratiostam suam presentiam in Veteri Testamento adstruxerat, typus erat illustris. Quem admodum enim DEUS super operculo & Cherubim sedens placatum se ostendebat: Ita etiam in Filio suo, in quo sibi complacuit, & in qua dilectione nos fecit dilectos, (extra quem ignis est absumentis) nobis se gra-

gratiosum præbet. 9. 2. Cur in sanguine? quia sanguis est istud  
λύτρον & redemptionis premium, quod Christus justitiae divinæ pro  
peccatis nostris solvit, ut nobis placatus esse, peccata remittere, vi-  
tamq; eternam donare posset. 10. 3. Cur in demonstrationem ju-  
stitiae? quia justitiae divinæ peccatis nostræ lese non aliter, quam san-  
gvinis effusione, satisfieri poterat. 11. DEUS enim, licet non habeat  
superiorem, secundum eternam & immotam justitiae suæ regulam,  
sibimetipsi Lex est, quam transilire nullo modo potest, nisi se metipsum  
negare, & absit blasphemia dictis, destruere vellet. 12. Unde ex  
hoc loco ita colligimus: Qvicunq; à D E O nobis propositus est  
ιλασηγιον in sanguine suō ad ostensionem justitiae divinæ, ille  
pro peccatis nostris satisfecit. CHRISTUS &c. E. Major proba-  
batur. Qvicunq; enim sanguinem suum fundit pro altero, ut is,  
qui ipsi anteā, (postulante id justitiâ suâ) ipsi erat infensus, postmo-  
dum fiat placatus, is pro altero satisfecit. Minor probatione non in-  
diget. 13. Sensum non efferentes, sed inferentes Photiniani, qvan-  
do Christus ιλασηγιον dicitur, tertium comparationis in eo qværunt,  
quod DEUS voluntatem suam per Christum nobis revelaverit.  
14. Sicut enim, ajunt, operculum arcae propitiatorium fuit appella-  
tum, non quia DEUM populo Israëlitico placavit, sed quia DEUS in  
eō se propitium præbens sua responsa dabat, id est, Mosi loquebatur,  
qvacunq; illis significari volebat: Ita Christus propitiatorium ab  
Apostolo dicitur, non quod DEUM nobis placaverit, sed quod DEUS in  
ipso se placatissimum ostendens, qviequid nos scire voluit, per ipsum  
patescit. 15. Licet autem non negemus, Christum DEI unigeni-  
tum Filium, Λόγον eternum ē sinu Patris (non ē deserto, quod Phot-  
iniani volunt) nobis Evangelium attulisse, fundamentum tamen  
comparationis, quando ab Apostolo ιλασηγιον dicitur, in hoc qvæ-  
rendum esse, inficias imus. Ratio, quod arca DEUM non placaverit,  
& per consequens nec Christus DEUM placare potuerit, tam elumbis  
est, ut responsione videatur indigna. 16. Distinguere debebant An-  
tagonistæ inter typum & antitypum, quibus non ταῦτα, sed ὅμοι-  
άτα intercedit. 17. Sicut enim in similibus minutissimi apices non  
sunt excutiendi; Sic & αἰγαλόδιον γε τύπον ήγειρίτυπον εἰ μὴ  
κατὰ τάκτα, κατά τι γέγονα. 18. Concedimus, arcam tanquam  
rembrutam non placuisse DEUM propriè, falsum tamen, quod non  
pla-

placaverit typicè, id est, placationem veram sanguine Christi præstandam non adumbraverit. 19. Qværitur enim, cur DEUS in arcâ se propitium præbuerit, & responsa dederit? Causa nulla subest, nisi qvia operculum typum Christi gesfit. 20. Qvòd autem Christus DEUM iratum verè nobis placaverit, ex additis verbis in sanguine suo, qvō seipsum Patri obtulit, abundè satis patescit. Unde à Iohanne 1. Epist. c. 2. v. 2. ἡλασθός pro peccatis totius mundi dicitur.

### THESIS XI.

Fundamentum XI. locus 1. Joh. 1. v. 7. Sanguis JESU CHRISTI Filii DEI emundat nos ab omni peccato.

#### "Endeſtig.

§. 1. 1. C Oincidit hic locus cum illo Hebr. 9. v. 14. Sangvis JESU CHRISTI purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus. 2. Nos in peccatis conceptos esse, Psal. 51. v. 7. immundos ex immundo semine, Jobi cap. 14. v. 4. carnem de carne, Joh. 3. v. 6. Scriptura pasim docet. 3. Si verò mundi coram DEO apparere volumus, purgatos & lotos ab omnibus iniqvitatibus nos esse convenit. 4. Id qvod præter sanguinem Christi, docente in hac priore sua Epistola & in Apocalypsi c. 1. v. 5. Iohanne, (Christus dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum) nemo præstare potest. 5. Insignis hujus emundationis typus erat in Veteri Testamento aspersio Israëlitarum sanguine brutorum, qvam etiam respicit David Psal. 51. v. 9. Expiabis me hyssopo, (aspergillo ex hyssopo, per meton. materiæ confecto & sanguine tincto) & mundabor, lavabis me, & nive candidior ero. Nobis exprimeret tritam istam locutionem: Das Blut Christi besprenge meine arme Seele. 6. Per istam autem emundationem nihil aliud, qvam justitiae acquisitio & applicatio, vel, qvod idem est, satisfactio pro peccatis, & qvatenus justitia Christi agendo & patiendo nobis parta manu fidei apprehenditur, justificatio intelligitur. 7. Hinc & Epistola ad Hebr. cap. 9. v. 14. qvòd sanguis Christi conscientias nostras ab accusante Lege iramq; DEI monstrante purget, asserit. 8. Pondus autem huic sanguini accedit ex dignitate personæ patientis,

515,

10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1. *tis, nimirum Filiū D E I non adoptivi, sed unigeniti, Joh. i. v. 14. & 18.*  
2. *Johan. 3. v. 16. & proprii, Rom. 8. v. 32. qvi solus infinitæ divinæ justitiae infinitum av̄ḡd̄l̄ayma pro omnibus omnium hominum peccatis per-*  
3. *solvere lancij, alteri p̄st̄n̄ conciliare poterat. 9. Idipsum ut clariū effulgescat, per omnia tria communicationis Idiomatum genera dictum hoc aureolum diducemus. 10. In primo genere communica-*  
4. *cationis τῶν ἴδιωμάτων est hæc propositio: Filius D E I habet sanguinem, vel fundit sanguinem, in qua proprietas humanae naturæ de-*  
5. *personâ ab altera natura denominata prædicatur. 11. In secun-*  
6. *do, si ordinem doctrinæ, non naturæ spectemus, est hæc: JESUS Christus Filius D E I sanguine suō nos emundat ab omni peccato, ubi δύστελεσμα, nimirum emundatio à peccatis de utraqve natura, ubi quælibet agit, quod suum est, sed cum communicatione alterius, prædicatur. 12. Ad tertium verò reduci potest hæc propositio: San-*  
7. *gvis vim habet emundandi, ubi οὐχημα divinum de humana natu-*  
8. *ra propter unionem duarum naturarum ( quam præsupponit hoc genus non reciprocum) prædicatur. 13. Ex quibus, cujus sit ille san-*  
9. *gvis, quam vim obtineat, & quam nobilem effectum producat, est in apricō. 14. Ita verò ex hoc loco inferimus: Cujuscunque sangvis*  
10. *nos emundat ab omni peccato, ille pro peccatis nostris satisfe-*  
11. *cit. IESU CHRISTI Filii D E I sangvis &c. E. Major proba-*  
12. *tur, quia emundatio nihil aliud, quam redēptionem Hebr. 9. v. 15. &*  
13. *peccatorum remissionem v. 9. hujus cap. cùm alias per totam vitam,*  
14. *nostram ob malum τὸ δικαιόδοξον & αὐαγτίαν εὐθέσατο immun-*  
15. *dos nos esse ac manere oporteat, significat. 15. Nam quod donum*  
16. *sanctificationis attinet, illud in hac vita perficitur successivè, donec in die ταλιγενεσίας & δόπονατασάσεως απάντων etiam inhæren-*  
17. *tem justitiam perfectam simus recuperaturi. Minorem nemo, nisi tal- pā cæcior, negabit. 16. Excipiunt 1. Photiniani etiam de D E O*  
18. *Patre v. 9. dici, quod nos ab omni peccato emundet, cùm tamen pro peccatis nostris non satisfecerit. 17. Σοφὰ Φαρισαὶ & foli-*  
19. *fculne a sunt ejusmodi exceptiones, cùm versiculus noster non simpliciter dicat, quod Filius D E I nos à peccatis emundet, sed quod sanguis Filii D E I nos ab omni peccato emundet. 18. D E U M Patrem au-*  
20. *tem, ut potè Spiritum Joh. 4. v. 24. carne & sanguine destitui, non ne-*  
21. *gabunt. 19. Quid? quod D E U S Pater non extra Christum, sed in*

E

Chri-

Christo, & non nisi per sanguinem ejus, Act. 4.v.12. Ephes.1. v.7. peccata nobis remittat. 20. 2. Eadem oberrantes chordam suamq; hypothesis: Sangvinem Christi esse signum remissionis peccatorum, presupponentes vocabulum mundare h.l. idem significare ac mundum declarare garriunt. 21. Sed καὶ ἡ ὁμοίωσις εἰπεῖται. Non negamus, vocabulum mundare quandoque in hac significatione venire, verum cum h.l. Johannes non agat de mundi & immundi declaratione, ut Moses, sed de mundatione à peccatis, medium exprimit, nimis rursum sanguinem Christi, quod à peccatis mundamur. 22. Hinc etiam emundatio à peccatis, de quā h.l. sermo est, v.g. remissio peccatorum, & ad Hebr.9.v.15. redemptio dicitur.

### THESES XII.

Fundamentum XII. est analogia fidei, quæ non nisi per fidem, exclusis operibus, Roman.3. v.28. cap.4.v.5. Gal. 2.v.16. non ex Lege, sed ex Evangelio justitiam esse docet, Gal.2.v.ult: & in eadem Epistolâ passim, CHRISTUM τέλος τῷ νόμῳ vocat, Rom.10.v.4. sub Legem factum esse dicit, ut eos, qui sub Lege essent, redimeret, Galat.4.v.5.

### "Enθεοῖς.

- §. 1. 1. **H**ic Rhodus, hic saltus, ut sartum tectum Theologiae suæ systema conservare, omnibusq; ex sacris de promis objectionibus obviam ire possint Adversarii. 2. Cūm itaque hominem solâ fide justificari Scriptura pronunciet, per fidem obedientiam mandatorum divinorum, non vero fiducialemeriti Christi apprehensionem intelligunt. 3. Unde fides & opera non re ipsâ, sed ratione tantum ipsis distinguuntur. 4. Verum Scriptura inter fidem & opera in Articulo justificationis semper distinguit, fidemq; non ut opus, sed ut ὁρατὸν ληπτικὸν justitiam Christi apprehendens considerat. 5. Hinc etiam nunquam Αγ. ωἰστιν propter fidem, ( quam phrasin Ostorodus concedit, Smaltzius vero forsan propter liberalem DEL justificationem )

im-



improbatur) sed **Dicitur** **missus**, per fidem, vel **cum missis**, ex fide, vel  
cum missis, in fide justitiam esse pagina sacra nos docet. 6. Si qui  
verò ex nostratis ob fidem nos eligi & justificari dixerunt, ex tota  
ipsorum confessione non meritum, sed medium eos intellexisse con-  
stat. 7. Qvod cùm dicimus, non hoc volumus, fidem à bonis ope-  
ribus esse disjunctam (esset enim fides mortua) sed in actu justificatio-  
nis fidem ab operibus esse distinctam. 8. Ubi enim opera non ap-  
parent extra, ibi fidem ne credas esse intra: ubi radius non est in o-  
pere, ibi lux non est in corde. 9. Sine operibus tamen fides est mor-  
tua, non quod opera fidei sint forma & anima, ut Photiniani loquun-  
tur, sed quod viventis fidei sint testimonia. 10. Qvando non ex Le-  
ge, sed ex Evangelio justitiam querendam docet Scriptura, per Le-  
gem intelligunt Mosaicam illam Israëlitis præscriptam, quæ perpe-  
tuam & perfectissimam præceptorum divinorum obedientiam requi-  
sivit, per Evangelium verò doctrinam Christi, quæ præceptis quidem  
Mosaicis adjecerit nova, cuius respectu Christum Legis perfectionem  
dicunt, non tamen rigidam obedientiam postulet, sed in aliquati stu-  
dio acquiescat. 11. Verum enim verò, aliam esse Legem Mosis, aliam  
Legem Christi propriè sic dictam, Pontificis & Photinianis adhuc  
incumbit probandum. 12. Non enim Christum novas tulisse Leges,  
sed Mosaicas saltem à corruptelis Phariseorum, quibus circa tempo-  
ra Maccabæorum involvebantur, repurgasse, pristinog̃ nitori resti-  
tuisse, collatio utriusque Testamenti ad oculum monstrat. 13. Ult  
singula præcepta percurramus, & corruptelas illas monstremus, in-  
stituti nostri non fert ratio, (conflictui enim id reservamus) hoc sal-  
tem addimus, Photinianam doctrinam Mahometismo fores & val-  
vas bipantes aperire, quia in Alcorano Azora 2. dicitur: Mosen tu-  
lisse Legem minus perfectam, sed perfectiorem à Christo, perfectis-  
simam à Mahometo esse latam. 14. Nec coram Ecclesiæ facie,  
quod nostrâ doctrinâ Turcarum conversionem impediamus, erube-  
scimus, sed potius dictorio Adami Neuseri religionum mango-  
nis: **Qui vult vitare Mahometismum, vitet Aria-**  
**nismum, hanc primam nostram**  
**sectionem obsigna-**  
**mus.**

## SECTIO II.

### THESIS I.

Fundamentum I. nostræ assertionis, qvôd  
CHRISTUS non tantum in corpore suô, sed etiam  
in anima sanctissima passiones infernales rule-  
rit, ponimus agoniam CHRISTI à Matth. cap. 26.  
v. 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46. Marcô cap. 14.  
v. 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42. in primis Lucâ  
cap. 22. v. 40. 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47. descriptam.

"Εὐθεσίς.

- S. I.
1. *UT satisfactionem pro peccatis nostris commodiùs destruant Photini & complices ipsorum, passiones etiam Christi infernales, quas in anima sua sanctissima sustinuit, cum Pontificiis amicæ jungentes manus negant.*
  2. *Illas autem ex agonia Christi sic probamus : Cujuscunq; peccatis alienis onusti anima cæpit λυπήσθαι, ηγετηδημονεῖν, fieri θειλυπτό usque ad mortem, in agoniâ constitui, præter rerum seriem Θρόμβες αἴματα exsudare, ab Angelo solatium accipere, ille dolores sensit infernales. CHRISTI &c. E. Major probatur : Alias Christus, qui tamen θεάνθρωπος, omnibus Martyribus fuisse inferior. Quidque qui ad mortem tanquam ad epulas cum tripudio accesserunt.*
  3. *3. Stephanus lapidum imbrem imperterritus excipit & pro inimicis intercedit.*
  4. *4. Andreas crucem, cui erat affigendus, salutat.*
  5. *5. Laurentius vivis carbonibus jam diu satis ustulatus Tyranno adhuc illudit, & numquid palato arrideat, querit.*
  6. *6. Non itaque ob metum mortis temporalis, sed ob iram DEI, maledictionem Legis & passiones infernales, quæ tanquam stipendum peccati huic atrocissimo peccatori debebantur, Christus angorem istum stupendum sensit.*
  7. *7. Imò hæc ipsa Christi αγωνία Martyribus refrigerium fuit & dulce solatium.*
  8. *8. Hinc etiam, ut calix, vel passio ista transeat, & DEUS alium redemtionis modum pro summa sua sapientia inveniat hypothecè,*

fi

si fieri posset, voluntatem suam voluntati Patris cœlestis subordinando cuncte reges flagitat. 9. Quid cum dicimus, non hoc volamus, CHRISTUM in ipsis damnatorum pœnas istas pertulisse, sed quod passiones infernales, quoad conditionem damnatorum passionibus correspondentes, adeoq; mortem aeternam, licet non aeternum loco & vice nostrâ pertulerit. 10. Sudorem CHRISTI sanguineum, quô sub spississima Papatus caligine tot moribundi fuerunt servati, proverbiali locutione de summis laboribus (uti in notis suis super Novum Testamentum exponit quidam) dici, nullô modô probare possumus, cum in terram istos Deorum amicorum procedisse contextus ostendat, & hanc èzynica historicam esse relationem doceat.

## THEISIS II.

Fundamentum II. tristissima CHRISTI de sui derelictione in cruce querela: DEUS mi,  
DEUS mi, quare me dereliquisti? Matth. 26.

v.46. Marci 15. v.33,34. Iupab coislaqni myr  
andol esiten 2332" Endesig.

1. Non desertus erat CHRISTUS à DEO ratione divinæ nature, qui cum Patre unum erat θεοχρηστus essentiali: nec desertus erat à DEO ratione humanae naturæ, qui cum Filio DEI unigenito unus erat θεοχρηστus personali, unamq; habebat hypostasin nullis seculorum myriadibus dissolvendam. 2. Sed desertus erat ratione auxili, solatii, gratia & gloria, adeoq; pœnas infernales sustinuit. 3. Pontifici pœnam infernalem faciunt duplēm danni & sensūs, & utramque vel temporaneam, vel aeternam. 4. Pœnam damni (carentiam divinæ visionis) temporaneam Patribus intimbō, aeternam infantibus non baptizatis: pœnam sensūs temporaneam in purgatorio constitutis, aeternam damnatis adjudicant. 5. Hanc desertionem autem CHRISTI non pœnam saltēm damni, (quod verbum desertionis, si corticem rodimus, videtur innuere) sed etiam sensūs involvere, pœna illa, quam nostrō loco perferre debet,

6 bebat, satis evincit. 6. Unde ex hoc loco ita inferimus: Quidcumque  
desertus fuit a DEO ratione auxilii, solatii, gratiae & gloriae, ille  
poenias infernales sensit. CHRISTUS &c. E. Major probatur,  
quia poenae infernales in abjectione a facie DEI, adeoq; in privatio-  
ne omnis gratiae & gloriae consistunt. Minor est in concessu. 7. Quod  
vero Christus non desperaverit, (uti ex pronomine isto, quod DEUM  
adhuc suum DEUM appelleret) exinde factum, quia desperatio per ac-  
cidens damnatorum poenis adhaeret, quod in eternum infinita divine  
justitiae peccatis suis laesae satisfacere nequeant. 8. Christus vero,  
cum infinita persona fuerit, & ita passioni sue pondus infinitum ad-  
jecerit, intensivè morte triduanâ pati potuit id, cui omnes impii so-  
culis infinitis extensivè ferundo nec sunt, nec erunt. 9. Ita quoque  
Christus DEUM iratum sensit, ut simul causam irae agnosceret, quod  
non pro suis, sed pro alienis peccatis Patris iram sustineret.

THESES III.

Fundamentum III. peccatorum nostro-  
rum imputatio, de qua Esa. 53. v. 6. Fecit Deus  
in eum incurrere omnia peccata nostra, Johan. i.  
v. 36. Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi, 2. Corinth. 5. v. 21. Illum, qui non novit pec-  
catum, DEUS pro nobis fecit peccatum, ut nos  
efficeremur justitia DEI per ipsum, 1. Petri 2. v. 24.  
peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super  
lignum.

"Eudoxia.

§. 1. 1. CHRISTUM in hac sanctissimum fuisse, imputative vero pec-  
2. catorem atrocissimum Scriptura passim docet. 2. Licet enim  
ex lumbis Adami traxerit originem, reatus tamen peccati Adamitici  
ipsi non potuit imputari, cum in lumbis Adami fuerit non ut nudus  
homo, sed ut futurus Deav. spwπ, & per consequens Dominus Le-  
gis, quem nulla Lex obligare potuit, non ut agrotus, sed ut Medicus,  
non

non ex sequela naturæ, sed ex promissione. 3. Licet etiam naçtio[n]es  
τῆς οἰλίας Mariæ, qvæ peccatō fuit infecta Luc. 1. v. 42. dicatur,  
non tamen exinde peccati labem contrahere potuit, cùm Spiritus  
Sanctus illam sanguinis guttulam, ex qua Λόγος aeternus sibi tem-  
plum construxit, suo superventu ab omni peccato purgaverit. 4. Un-  
de Sanctum, qvod ex Maria nascetur, Luc. 1. v. 35. segregatus à pecca-  
toribus, Hebr. 7. v. 26. fratribus, excepto peccatō, per omnia similis,  
Hebr. 4. v. 15. dicitur, & ut alius ipsum peccati postulet ἡ αρπίσι-  
σινῶς Joha[n]. 8. v. 46. querit. 5. Interim tamen peccatorum o-  
mnium, qvos Sol conspexit, atrocissimum coram D E O fuisse Chri-  
stum, ex eo, qvòd peccata totius humani generis ipsi fuerint imputa-  
ta, liquet. 6. Nec propterea statim Diaboli filium ipsum dicen-  
dum fuisse sequitur, cùm is suis operibus Diabolum nunquam fuerit  
imitatus, prout Christus Iudeos Diaboli filios, qvòd opera patris sui  
mentiendo & interficiendo imitentur, Joha[n]. 8. v. 44. nuncupat.  
7. Et hoc est pulchra permutatio, qvà Christus in hæsiū sanctissi-  
mus imputativè fit peccatorum omnium atrocissimus, ut nos in hæsi-  
vè peccatores turpisimi coram tribunali divinò imputativè siamus  
justissimi. - 8. Q[uod]o ipso sibi blanditur Sponsa Cant. 2. v. 16. Dilectus  
meus mihi & ego illi. 9. Pontificii qvidem clarissimā horum dicto-  
rum, præsertim i. Corinth. 5. luce convicti CHRISTUM peccatum  
pro nobis factum concedunt, interim tamen peccata nostra ipsi fuisse  
imputata negantes de victima tantum pro peccato exponunt.  
10. Licet autem inter nostrates quoque non desint, qui hunc lo-  
cum ita exposuerint, non tamen exclusivè de pœna peccatorum tan-  
tum, & qvidem partiali, ut Pontificii citeriores, intellexerunt, sed  
orthodoxam nostram sententiam de peccatis CHRISTO imputa-  
tis semper presupposuerunt. 11. Nos literæ & avl[eu]th[er]e, qvam  
facit Apostolus i. Corinth. 5. inhærentes, sic potius huic fundamen-  
to superstruimus: Cuicunque peccata nostra fuerunt à D E O  
imputata, ille quoque pœnas peccatorum nostrorum tulit  
CHRISTO &c. E. Major est in propatulo, cùm illius sit pœna,  
cujus est culpa sive per inhesionem, sive, consentiente judice, per  
imputationem. 12. Unde per potentiam τὰς συλλογές eodas  
alterius colligimus: Qvicunque pœnas peccatorum nostrorum  
tulit, ille quoque passiones infernales sensit. CHRISTUS &c. E.  
Major

Major probatur, quia pœnas non temporales duntaxat, sed etiam aternas, quas impii dabunt aeternum, eramus promeriti.

Pluribus argumentis pro adstruenda nostra sententia coacer-  
vandis in præsentiarum supersedemus, & stamen hujus tela hoc ēu-  
xagisimū abrumpimus.

**A**doramus Te, JESU CHRISTE, & benedi-  
cimus Tibi, quia per crucem tuam redemisti  
mundum. Sancta vulnera, crucem, clavos, scuti-  
cam, coronam, lanceam, funes, rigidamq; mortem  
in hora mortis miseris nobis summum fac esse sola-  
tium: & tandem vitâ funëtos sanctorum fac in-  
gredi consortium. Ubi Te, AGNE DEI, pro pec-  
catis nostris occise cum Patre & Spiritu San-  
cto laudabimus & celebrabimus se-  
culis nunquam termi-  
nandis.

**Δ. T. Θ.**



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	Red	Magenta	Yellow	Cyan	Green	Blue
19	18	17	16	15	14	13	12	11
18	17	16	15	14	13	12	11	10
17	16	15	14	13	12	11	10	9
16	15	14	13	12	11	10	9	8
15	14	13	12	11	10	9	8	7
14	13	12	11	10	9	8	7	6
13	12	11	10	9	8	7	6	5
12	11	10	9	8	7	6	5	4
11	10	9	8	7	6	5	4	3
10	9	8	7	6	5	4	3	2
9	8	7	6	5	4	3	2	1
8	7	6	5	4	3	2	1	0

ΠΟΠΟΛΙΣ  
Salutis nostræ:  
PUTATIO  
αλασκενασιην̄ vid Tarsaq dyp 21.342  
DE  
**FACTIONE**  
**PRO PECCATIS**  
**T IN SPECIE DE PAS-**  
**HRISTI INFERNALIBUS,**  
*Opposita*  
*ianis, VVeigelianis, Fratribus*  
*abaptistis, & ex parte Ponsificis,*  
*laureatus in Theol. collato,*  
*Jusu*  
*ii Theologici materiam determina-*  
*o promotionis actu suppeditantis,*  
**B PRÆSIDIO**  
**VIRI**  
*li, Amplissimi, & Excellentissimi Dn.*  
**IÖPNERI, S.S. THEOL. DO-**  
*n Acad. Lipsiensi celeberrimi, Fa-*  
*Consistorii Electoralis Assessoris, Dicece-*  
*ntis, Canonici Misnenis, minoris Princ.*  
*iati, Academiac Decemviri, &c.*  
*oris & Patroni sui magni.*  
*Submissa*  
**KROMAYERO, S.S.T.H.BACC.**  
*ssore, & p. t. DECANO.*  
*, ANNO C I E I E CXLII.*  
*excudebat Gregorius Ritzsch.*

THd 117

